

BRACCESI (Alessandro)

APPENDICES (204 vers)

## BARTHOLOMEO FONTIO

A1\_01 v.1 Dispeream, Fonti, mea sunt si carmina, quae nunc  
 2 audio clam, Paulo missa fuisse tuo ;  
 3 sed pereat quicumque meo de fonte fluisset  
 4 illa putat : palam carmina nostra damus.

## FRANCISCO OCTAVIANO

A1\_02 v.1 Miraris Pleiades geminosque Triones et Arcton  
 2 atque Hyades saevas deposuisse vices,  
 3 et tempestates pluvias imbresque nivesque  
 4 sedatas reditu Caesaris esse ducis.  
 5 Augustus quisnam caeli statione potiri,  
 6 quis velit <...> Nesciat astra secet.

## AD SODALES

A1\_03 v.1 Dum metuo lapidis valido ne pulser ab ictu,  
 2 fecerat imprudens quem mihi vestra manus ;  
 3 curro citus tumulumque tremens offendo deorsum :  
 4 labor, et inde tuli vulnera cruda genu.  
 5 Quae res me celsi <...> Una, sodales,  
 6 scandere nunc molem non sinit : ergo abeas !

## AD BAPTISTAM ALBITIUM

A1\_04 v.1 Quod modo claudus erat noster, Baptista, Perillus,  
 2 noli praecisus credere quod sit anus :  
 3 <h>ulcus at in causa est positum super inguine crudum,  
 4 quo dolet ac laevo claudicat ille pede.

## IN LUCILIIUM PEDICONEM TURPISSIMUM

A1\_05 v.1 Obscaenum visu nuper foetidumque relatu  
 2 Lucilio evenit, cum futuisset Hylam.  
 3 Namque videns multo foedatum sanguine penem  
 4 post coitum, timuit obstupuitque nimis,  
 5 et simul incertus praecisus num puer esset,  
 6 an cruor is flueret pene vomente suo,  
 7 ambiguusque trahens imo suspiria corde :  
 8 "Quaeso, puer, doleat num tibi culus ?", ait.  
 9 Rettulit ille : "Meum fregit tua mentula culum,  
 10 dum clunes agitas, luxuriose, nimis."  
 11 "Gaudeo", tunc dixit, "postquam mihi mentula salva est.",  
 12 Lucillus, "Ne te destrue, pulcher Hyla :  
 13 nam, mea lux, quamvis forsitan, tibi ruga dolorem  
 14 scissa det, en medicas nunc tibi pono manus.  
 15 Maxima vis nostro residet virtusque priapo,  
 16 qualem Pelidae fabula prisca dedit,  
 17 qui repetita suo curabat vulnera telo :  
 18 sic, ego si rursus irrumo, salvus eris."

## IN LUCILIIUM MAXIMUM OMNIUM PEDICONEM

A1\_06 v.1 Lucilius pueros omnes sectatur et ardet,  
 2 in duros animum flectit et in teneros,  
 3 nullus et hac tota plures pedicat in urbe,  
 4 cui placet hirsutum marcidulumque femur.  
 5 Is neque formosis mavult quam turpibus uti :  
 6 Lucilius cunctos arrigit ad pueros.  
 7 Dum modo pedicet, fellet, praecidat et ungat,  
 8 discrimen nullum cum Venere ipse facit.

## IN PAULUM CINOCTUM

A1\_07 v.1 Cum patricis semper versaris, Paule, cinaedis  
 2 et nihil hoc pluris, care Cinocte, facis.  
 3 Pedicasse tamen numquam sacra numina divum  
 4 testaris, nulli concubuisse mari.  
 5 Ore igitur peccas, quo non obscenius ullum  
 6 esse potest : fellas. Luxuriosus homo es !

## AD MARIOCTUM POGGIBONITIUM

A1\_08 v.1 Miraris tenerae culum fregisse Gabinum  
 2 conjugis et rugas explicuisse novas.  
 3 Accipe quo veram possis agnoscere causam,  
 4 cur ausus tantum sit, Mariocte, nefas.  
 5 Uxorem duxit qua nocte Gabinus amatam,  
 6 haec illi primum verba locutus ait :  
 7 "O utinam primus tecum dormisse, puella,

8 et tecum primus concubuisse ferar,  
 9 ut tu prima meos amplexus femina sentis  
 10 et muliebri facis me tetigisse femur !"  
 11 Dixit, et ignorans avidi penetrabilia cunni,  
 12 quove loco positus sit genialis hymen,  
 13 cuncta vagus manibus pertractans membra puellae,  
 14 quaeritat ut cunni possit inire fores.  
 15 Sed, postquam frustra multum quaesisset, anhelans  
 16 ad solitum tandem confugit ille locum,  
 17 percitus a multa quem cum tentigine pulsat,  
 18 conscindit teneras mentula dura plicas.

\*\*\*\*\*

#### IN AMOREM

A2\_01 v.1 Quando diem, haec claudet Spes blanda inimica supremum  
 2 tempore quae vita tristia semper alit,  
 3 quae simul emoritur cum lux dulcisque nitensque  
 4 ante oculos rediens pectora laeta, fovet ?  
 5 Praestita quando Fides, cui Spes et amica sororque  
 6 exstat cara nimis et lacrimosa simul,  
 7 alma Fides, cujus tam rarum cernimus usum,  
 8 cum moriemur ? Amor en age, pande mihi,  
 9 o mutescis, Amor, leti cum sis mihi causa,  
 10 hae vitae ? His mortem sed tamen opto miser,  
 11 et quod tu vivas, error placidissime amantum.  
 12 Surridens Veneris tunc mihi natus ait :  
 13 "Est mea mors dulcis, vita harum plena doloris ;  
 14 hae cito succumbet, usque manebit Amor."

#### FLORA LOQUITUR

A2\_02 v.1 Cogimur, ecce, iterum votis pia numina caeli  
 2 poscere, vel precibus sollicitare deos ;  
 3 ecce, iterum mea lux patitur suavissima febrem :  
 4 o pereas, febris, deficiasque, precor !  
 5 Parce pio juveni, dentes in pectora saevos  
 6 candida non acuas, sed procul inde fuge !  
 7 Non hic tentavit sceleris committere quicquam,  
 8 nec laedit sanctos lingua proterva deos,  
 9 impius in caros non exstitit ille parentes,  
 10 nec manus in quemquam noxia mensve fuit.  
 11 Quatuor implevit modo lustra virentior aetas  
 12 nec dum illi frontem ruga pusilla secat :  
 13 est facies illi, qualis tibi, pulcher Apollo,  
 14 fingitur, at vita non minus ille nitet.  
 15 Juppiter, affecto jam jam succurre : quid ultra  
 16 immeritum juvenem febricitare sinis ?  
 17 Quid fraudare juvat cursum venientibus annis,

18           intempestiva vellere poma manu ?  
 19       Nonne satis miseros mortales fervidus aether  
 20           jam nunc incendit torridus atque canis ?  
 21       Quod juvenem febris torquet ardore sinistro,  
 22           artubus et fessis additur usque calor,  
 23       hoc decet impuros, haec convenit ira malignis :  
 24           saevior in sontes, Juppiter, esse velis !  
 25       Hunc praesta incolumem nobis propriamque salutem  
 26           hoc in servato tu mihi redde meam :  
 27       si non unius tangunt te vota, duorum  
 28           te moveant saltem, Juppiter alme, preces.  
 29       Alter ab alterius dependat jure salute,  
 30           sors cum fato eadem sit subeunda pari.  
 31       Tu quoque, Phoebe, adsis, medicinae inventor et auctor,  
 32           formoso juveni proximus affer opem,  
 33       corpore de toto morbos expelle molestos  
 34           effice ne pallor roscida membra notet :  
 35       intereat quodcumque mali sua pectora vexat,  
 36           pristinus et redeat qui fuit ante vigor !  
 37       Adsis Phoebe, manusque meo concede salubres  
 38           Hippolyto et miseram, Phoebe, timore leva,  
 39       non aliter cari metuit quae noxia amantis  
 40           fata sui, quam si mors obeunda foret.  
 41       Laus tibi magna quidem, si per te vita medentem  
 42           in reduce hoc uno parta duobus erit.  
 43       Sed tu ne, mea lux, dubita, cum simus amantes  
 44           cura deis superis : jam cito liber eris !  
 45       Dum modo non alios posthac secteris amores,  
 46           dum modo nos inter mutuus adsit amor,  
 47       assiduo solita teneamur uterque catena,  
 48           nos et nulla dies dissoluisse queat.  
 49       Ante aras sanctos fundemus thuris acervos,  
 50           atque sacros innos laetus uterque canet,  
 51       votaque servatus persolves debita mecum,  
 52           atque dies festus hic mihi semper erit.

## AD FLORAM

A2\_03   v.1    Aurea me torquent facies oculique nitentes,  
           2           atque premit niveus purpureusque color :  
           3       urere non tantum mortalia pectora possis,  
           4           sed quoque caelicolas sollicitare queas.  
           5       Me miserum ! internas comburit flamma medullas,  
           6           ignis habet semper tristia corda vorax.  
           7       Quam formosa, precor, tam sis quoque mitis amanti :  
           8           da mihi, quod si des, usque beatus ero,  
           9       da mihi quod majus gemmis, quod nectare credam  
          10           dulcius atque auro ditius esse putem,  
          11       quod me felicem reddet, quod regibus aequet,  
          12           quod vitae faciat tempora laeta, meae.

## AD FLORAM

A2\_04 v.1 Cur modo tam tumida incedas fastuque superba,  
 2 tempus erit quo te, stulta, dolore premes :  
 3 namque fugit velox omnis, velut umbra, juvena  
 4 et serpit celeri cana senecta pede.  
 5 Herba virens ortu solis, fit languida sero,  
 6 arescunt uno lilia pulchra die :  
 7 sic tua forma brevi spatio evanescit inanis,  
 8 ut cito solvuntur sole tepente nives.  
 9 Ulla diu felix homini sua vita manere,  
 10 sol radios semper purus habere nequit,  
 11 non violae semper florent in vallibus ortae  
 12 maeret in obscuro qui modo clarus erat.  
 13 Tempora mutantur, variat fortuna tenorem :  
 14 hic timet, hic sperat, hic dolet, ille canit ;  
 15 usque adeo in terris non est durabile quicquam,  
 16 mortali aeternum vivit in orbe nihil.  
 17 Quare, age, ne imprudens tua tempora contere, Flora,  
 18 dum potes utiliter vivere, vive, tibi !  
 19 Temporis est ulla haud major jactura fugacis,  
 20 nam volat et numquam sistere novit alas.  
 21 In cassum quaeres, quod perdidit hora vel una,  
 22 ut redeat totis viribus efficere.  
 23 Utere temporibus : labuntur tempora furtim.  
 24 Est breve quod miseri vivimus : ergo sape !  
 25 Si te formosam fecerunt tempora, turpem  
 26 haec eadem facient non reditura tibi ;  
 27 duritiae in tanta tenuerunt tempora si te,  
 28 haec eadem reddent mitia corda tibi ;  
 29 si te sublimem duxerunt tempora, in imum  
 30 haec eadem propere, dura puella, trahent.  
 31 Tempora multa ferunt, adimunt et tempora multa,  
 32 tempora laetitiam tristitiamque gerunt,  
 33 tempora multa ligant, et tempora plurima solvunt,  
 34 tempora damna simul, tempora lucra parant,  
 35 illa voluptates praebent atque illa dolorem,  
 36 saevitiam tempus, dulcia tempus alit.  
 37 Sunt insana modo, resipiscunt tempora rursus :  
 38 denique cuncta domant, tempora cuncta regunt.  
 39 Ducere qui vitam cum tempore noverit, ille  
 40 compos erit voti propositique sui ;  
 41 sed qui temporibus sese non commodat, ille  
 42 assequitur numquam, siqua tenere cupit.  
 43 Nam decet inceptis durare, haud dicere : tempus  
 44 obstat ! Namque venit, cum datur ut veniat.  
 45 Hoc sine nil possunt hominis pertingere vires :  
 46 omnia fert tempus, omnia tempus habet.  
 47 Paenituisse tuum fuerit mihi finis amoris  
 48 tempus : vindicta est nam tua mitis, Amor !

## AD BARTHOLOEUM SCALAM

A2\_05 v.1 Dum tua de pomis ac silvis carmina totus

2           intentusque lego, singula quaeque notans,  
3       saepe mihi dubiam vertit sententia mentem,  
4           Ascraeinae foret sive Maronis opus.  
5       Nescio quid melius possit, quid doctius illo  
6           in genere aut gravius, Scala diserte, legi :  
7       priscorum nulli cedet, nec sentiet ullum  
                  [LACUNE]